Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philippi Melanchthonis Grammatica Latina

Melanchthon, Philipp

Wittebergae, 1621

Caput V. De Literarum in Sylbas Coitione

urn:nbn:de:bsz:31-112308

Visual Library

CAPUT V.

DE LITERARUM IN SYLLABAS Coitione.

* *Qvid eſt Syllaba?*

Syllaba eſt comprehenſio literarum, qvæ uno ſpiritu ac tono efferuntur. *ut: Ae-ger, Oe-neus, Dens, Con-ſtanter.*

△ Qvòd ſi unica litera, v. g. Vocalis, uno ſpiritu ac tono profertur, καταχρηστικῶς [1] Syllabæ nomen accipit, ut *e-o, e-a-mus.*

△ *Qvotuplex eſt Syllaba?*

1. Syllaba propriè dicta, hoc eſt, in qvam plures literæ coaleſcunt, vel tantùm conſtat Vocalibus diverſis: vel Vocalibus & Conſonantibus ſimul.

△ *Qvid de Syllaba tantùm ex Vocalibus diverſis conſtante eſt notandum?*

Syllaba tantùm ex Vocalibus diverſis conſtans, Diphthongus eſt. *ut: Ae-ger, Oe-neus.*

△ Qvod ſi duæ Vocales, Diphthongum aliàs conſtituentes concurrunt, & ad diverſas Syllabas pertinent, punctis διαιρέσεως ſignantur, ut: *Po-eta, Poëta.*

△ *Qvid de Syllabis ex Vocalibus & Conſonantibus notandum?*

Modus Conſonantes cum Vocalibus, &
2. aliis Conſonantibus [2] connectendi.

□ *Qvomodo*

☐ *Qvomodo ſunt ergò Conſonantes cum Vocalibus & aliis Conſonantibus connectendæ?*

Juxta ſeqventes Regulas.

I. Unica Conſonans, media inter [3] duas Vocales poſita in Voce ſimplici, ad poſteriorem ſyllabam pertinet. *ut: Do-mi-nus. Di-xi-mus.* 3.

II. In dictionibus Compoſitis & ſyncopatis, unaqvæqve pars ſejungitur, ita tamen ut Vocali præcedenti, ad qvam extra compoſitionem & Syncopen Conſonans ſeqvens non pertinebat, ea non affricetur. [4] *ut: ab-latus, ab-rado, in-eo, ex-eo, per-ago, ab-igo, amphis-bæna.* Non autem *pot-eſt*, [5] ſed *po-teſt*. Sic non *et-jam*, ſed *eti-am*. Sic *a-gmen, te-gmen*, ex *a-gimen, te-gimen*, non *ag-men, teg-men*. 4. 5.

III. Conſonantes immediatè [6] geminatæ nunqvam ad eandem Vocalem pertinent, ſed ad diverſas. *ut: il-le, an-nus, ter-ra, ſtup-pa, Bac-chus.* 6.

IV. Qvæcunqve duæ, vel plures [7] Conſonantes in principio alicujus dictionis poſſunt conjungi; illæ etiam in medio [8] divelli extra compoſitionem non debent. *ut,* 7. 8.

A-ſtrum,	*qvia datur*	*Struma.*
a-ptus,	*qvia datur*	*Pterelas.*
he-bdoma,	*qvia datur*	*Bdellium.*
a-ctus,	*qvia datur*	*Cteſipho.*

o/mnis, *qvia datur Mnemon*
aſteri/ſmus, *qvia datur Smaragdus.*

V. Liqvida qvamcunqve conſonantem præcedens, in eandem cum ea ſyllabam non coit. *ut*, *al/mus*, *ſum/ptus*, *an/te*, *an/xius*, *ar/te.*

Excipitur N poſt M. *ut*, *o/mnis*,
9. *a/mnis* juxta *Reg.* 4.

Mutam autem ſeqvens, ad Vocalem ſeqventem cum ea pertinet. *ut a/tlas*, *tene/bræ.*

Niſi ſit ex compoſitione. *ut ab/rado*, *ab/latus*, *juxta Reg.* 2.

VI. Nulla ſyllaba plures duabus Mutis habere poteſt ante Vocalem. *ut* : *a/ptus*, *o/ptant*, *o/cto.*

VII. Si tres Conſonantes in medio concurrunt, & priores duæ in initio dictionis inveniuntur, non neceſſe eſt angi de tertia, qvam ſemper oportet eſſe Liqvidam, & proinde ſeqvaciſsimam; vel H poſt C, P, aut T; vel V poſt Q. *ut.*

A/scra, etiamſi non daretur *Scribo*: tamen qvia *Scio* datur, Liqvida R non reluctatur.

a/sthma, *i/sthmus*, etiamſi à *sthm* vel *stm*, fortè nulla dictio inveniatur: qvia tamen datur *Sthenelus*, vel ſaltem etiam *Sto*; H & Liqvida non reluctantur.

i/chthyo-

i/chthyophagi, etiamſi non daretur *chthonius*: tamen qvia CT connexa inveniuntur, *cteſipho*; H & H nihil impediunt.

Pa/sqvillus, etiamſi non daretur *sqvama*; tamen V poſt Q olim planè qvievit, hodiè verò propè liqveſcit.

VIII. Nulla latina ſyllaba in G ſua vice fungens deſinit, ſicut nec Græca in γ.
Ideò ſcribendum, *a/gmen*, *te/gmen*[10], *ne/go-* 10.
tium[11]: *ſicut* λέλε/γμαι, ὄ/γδοος. 11.

IX. In Verbis in VO vel VEO & qvæ inde deducuntur, V ſyllabam inchoat ut Conſonans, ſeqvente Vocali; terminat ut
Vocalis[12], ſeqvente Conſonante. *ut* 12.
Vol/vo, *Vol/vi*, *Vol/vere*, *Vol/vens*, *Volu/tum*, *Volu/to*, *Volu/turus*, *Volu/tabrũ* *Ca/veo*, *Ca/vi*, *Ca/vere*, *Ca/vens*. *Cau/tum*, *Cau/turus*, *Cau/tio*, *Cau/tela*.

Huc refer & *Ai/o*, *ai/ebam*, *a/is*, *a/it*: ubi I ante Vocalem, ſyllabam & diphthongum terminat: ante Conſonantem autem, vel ſola, ſyllabam facit, *ut a/i/tis*, *a/i/te*; ſicut & qvando in fine ponitur ſine conſonante, *a/i*: vel cum conſonante finali ſyllabam abſolvit. *ut a/is*, *a/it*.

NOTA. Ne qvem offendant exempla dictionum interdum Græcarum. Sunt enim in lingvam Latinam recepta, & in Latinorum ſcriptis inveniuntur.

† *Qvomodo à Syllabarũ numero appellantur dictiones?*

Aliæ Monoſyllabæ, qvæ unica conſtant ſyllaba, *ut, Pes, Mons, Ver, Præ:* Aliæ Diſyllabæ, qvæ duabus, *ut Pater, Omnis, Amo, Propter:* Aliæ, Polyſyllabæ, qvæ pluribus qvàm duabus ſyllabis conſtant, qvotcunqve ſanè: *ut, Dominus, amaviſſem. Conturbabantur Conſtantinopolitani innumerabilibus ſollicitudinibus.*

CAPUT VI.
DE DISTINCTIONIBUS.

Videatur in ὑπομνήματι.

FINIS ORTHOGRAPHIÆ.

SECUNDA PARS.

PROSODIA.

☐ *Qvoniam Prosodia non circa Syllabæ ſubſtantiam, qvam Orthographia ſibi vendicat, verſatur; ſed circa ſyllabæ affectiones, qvæ magna parte ex Etymologia & Syntaxi dependent, vel ſaltem dijudicandæ ſunt: de tota hac parte poſtremo loco infrà tractabimus; ubi & de Verſuum ac Carminis ratione non nihil trademus. Intempeſtivum enim fuerit atqve ineptum, hoc loco, & qvaſi in veſtibulo Artis, Puerum iis rebus remorari velle, de qvibus etiam inter adultos & in arte provectos dubitari interdum videmus. Et fruſtra in judicandis affectionibus vocum, hoc eſt, Tonis ac Temporibus, laborabunt, qvi origines illarum, & diſcrimina Caſuum nondum perceperunt.*